



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

3 An in educatione substantialis formæ oporteat materiam tempore
antecedere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

aliquo, propter quam, vt infra ostendemus, prior modus efficiendi superat vim finitam naturalium agentium non vero posterior.

XIV. Ex his etiam constat, proprie de his formis dici non creari, sed educi de potentia materię, & quid sit educi de potentia materię, in quo explicando multi laborant, tum in 1. Physic. tum in 7. Metaph. Sed vtrūque breuiter declarauit D. Thom. 1. part. quęst. 90. artic. 2. ad secundum. Nam cum illę formę non fiant ex nihilo, non creantur: quia creari est fieri ex nihilo. Cum autem illę formę in potentia materię contineantur, & per actionem agentis quali extra illam potentiam fiant, non quod extra materiam existant, eiusque potentiam non actuent, & illi adhęreant, sed quod, cum antea tantum continerentur in potentia, & in causa, postea sunt actu, & extra causam: & ita ex esse potenciali materię, in qua continebantur, in actum educuntur virtute agentis, concurrente eadem materia. Dices: Ergo eadem ratione dicentur res educi de potentia agentis, quia etiam in ea continebantur virtute & potestate: & ex hoc esse in potentia educuntur in actum per actionem ipsius agentis. Respondetur: absolute negando sequelam quia illa verba in omni proprietate significant habitudinem causę materialis, & non efficientis. Itaque tam efficiens quam materia potest dici continere effectum, diuerso tamen modo: nam agens continet eminenter seu virtualiter, materia vero solum in potentia receptiua seu passiua: cum ergo dicitur forma educi de potentia materię, peculiariter denotatur hęc habitudo materialis causę: agens vero, proprie dicitur per virtutem suam educere effectum de potentia in actum.

XV. Secundo.

Aliter etiam explicari solet, quid sit educi formam de potentia materię, nimirum, quod sit fieri in materia cum dependentia ab illa in esse, & fieri: quod conuenit omnibus formis substantialibus, excepta rationali. Quę explicatio solis verbis differt a precedenti, nam (vt supra dicebam) materiam continere in potentia sua causalitatem, seu vim cauſandi importat ex parte materię in suo genere: formam ergo trahi, aut fieri extra potentiam materię: in qua contineatur, nihil aliud est, quam fieri actu in materia, concurrente materia ipsa in suo genere per potentiam suam ad fieri & esse talis formę: sed hoc ipsum est fieri formam cum dependentia materię in fieri, & in esse: solumquę est diuersus modus explicandi per habitudinem effectus ad causam, vel e contrario per habitudinem causę ad effectum. Alia item explicatio occurrit, quę licet rem diuersam a precedentiibus non contineat, tamen eam magis declarat, & apta est ad nonnullas difficultates insurgentes explicandas. Formam ergo educi de potentia materię, est fieri eadem actione, qua fit compositum ex materia precedente, quę per illam actionem non fit, quam expositionem videtur intendisse Diuus Thomas cum dixit: formam non creari, sed educi, quia non est ipsa quę per se producit, sed compositum, forma vero comproducit ex præiacente materia. Et inductione constat ita fieri in omnibus formis quę educuntur ex potentia materię. Ratio verò reddi potest, quia educio in hoc consistit, quod sit actio vel mutatio per se & essentialiter pendens a materia: per hanc autem actionem simul forma fit, & vnitur materię: ideoque per eandem fit per se primo compositum, & comproducit talis forma, fitque actu extra potentiam materię: ergo educio formę de potentia materię optime per illam actionem declaratur.

Corollaria ex precedenti resolutione.

Atque hinc primo intelligitur amplius, quod supra dicebamus, formam rationalem non educi de potentia materię, quia nec continetur in potetia illius, vt extra ipsam educatur, neque fit, aut existit dependentē a materia, neque fit eadem actione, qua fit compositum, seu qua ipsa vnitur materię: prius enim, saltem natura, in se fit, & accipit esse suum independentē a materia, & postea alia actione vnitur, qua totum compositum generatur.

Secundo expeditur ex dictis alia difficultas, quę hic occurrebat de formis celestibus, an scilicet dici possint educę de potentia materię: nam iuxta priores interpretationes videbatur ita esse affirmandum, nam illę formę pendunt in fieri & esse a sua materia: ergo educuntur de potentia illius, nam si pendunt in fieri, & in esse: ergo causantur a materia: ergo continentur in potentia eius: ergo, cum actiunt, educuntur ex potentia eius. Nec satis est respondere, illas formas non fieri, sed confieri cum compositis, quia etiam formę rerum generabilium non fiunt, sed confiunt, & nihilominus dicuntur educi propter dictam dependentiam, & continentiam. Dicendum vero est cum communi sententia, illas formas vere non educi, quia vbi non est totius compositi generatio, nec potest esse formę educio. Ratio autem a priori est, quia, vt supra tactum est, vnica est actio, qua cœlum secundum se totum producit, & non solum forma, sed etiam materia fit, quę actio est integra, & perfecta creatio totius, & concreatio materię & formę, & ideo ibi non est educio de potentia materię. Cum ergo dicitur forma educi, quę pendet in fieri & esse a materia intelligitur, quando ad ipsam formam, vel ad formale esse quod per illam communicatur, tendit proprium fieri & propria actio, quę ita materiam præsupponit, vt per eam materia non fiat. Et si similiter, cum dicitur educi forma de potentia materię, quia in potentia eius continebatur, supponitur materia prius existens in potentia ad formam, quam illam actu habeat: materia autem cœli, licet sit potentia ad suam formam, postulat ex natura sua vt non sit in potentia ad illam, quia hoc esse in potentia includit priuationem.

SECTIO III.

An in educatione substantialis forma oporteat materia tempore antecedat.



Ecce difficultas nascitur ex precedenti resolutione, eiusque cognitio est necessaria ad comprehendendam amplius huiusmodi formę originem, seu educationem. Explicaturque optime difficultas in formis elementorum, sub quibus hęc materia generabilium creata est, cum primum fuit producta, de quib. quęritur, an fuerint educę de potentia materię. Quibusdam enim videtur, idem esse iudicium de his formis, & de formis celestibus, quia etiam elementa tunc non fuere genita, sed creata: ergo formę eorum non fuere educę, sed concreatę. Item, quia materia nunquam fuit in potentia ad illas formas, quia semper fuit actu sub illis, ergo non fuerunt educę, quia, vt dicebamus, educio ex proprietate verbi dicitur habitudinem ad subiectum quod prius erat in potetia. Item, in illo initio per eandem actionem, qua fuit creata terra, fuerunt simul concreatę materia & forma eius: ergo ibi non est educio. Tercio, cum creatur angelus, vel anima, non educuntur potentia eius ex capacitate subiecti, quia concreantur: ergo multo minus dicuntur educi formę substantiales, quę concreantur cum qualibet materia. Quarto, cum creatur angelus, non edu-

educitur substantia aut personalitas de potentia naturæ, sicut concreetur, ergo similiter, &c. Atque ita his rationibus videtur concludi, ad educationem necessariam esse, ut materia tempore antecedit formam.

Aliunde autem videtur esse valde dispar ratio de formis elementorum ac corporum celestium: nam hæc tales sunt, ut natura sua postulent fieri eadem actione qua fit materia, illæ vero minime, sed potius supponunt materiam creatam per propriam & distinctam actionem, & per aliam in eam inducuntur etiam in prima ipsorum conditione: ergo illa actio qua inducitur forma, non potest esse nisi vera educatio. Antecedens probatur, nam actio illa, qua creata fuit materia elementaris: talis est, ut usque nunc eadem perseveret, conservando ipsam materiam: actio vero terminata ad formam, vel compositum, cessat, quando illud compositum corruptum fuit, ergo signum est, illas actiones esse ex natura rei diversas. Nec dici potest, illas fuisse actiones parvas in componentibus, alias dicendum esset, etiam nunc componi unam actionem ex conservatione materiæ, & educatione formæ, seu generatione. Nam si fuit una actio composita, qua fuit creata hæc pars terræ, & postea hæc terra corrumpitur, & convertitur in herbam, cessat actio quantum ad illam partem, per quam conservabatur forma terræ in illa materia, & loco illius succedit alia, qua inducitur forma herbæ in eandem materiam; actio vero terminata ad entitatem materiæ semper manet eadem: ergo si illa de se est partialis, & componit unam actionem completam cum actione inductiva, vel conservativa primæ formæ; eadem ratione componit unam actionem cum illa, per quam inducitur secunda forma, quæ priori succedit. Probatur consequentia, quia est omnino eadem ratio, proportio, coniunctio, & aptitudo inter has actiones, sicut inter illas: tum etiam quia alias actio illa conservativa materiæ esset de se partialis & apta ad componendam unam totalem actionem, & tamen nunc perpetuo maneret incompleta, & sine debita compositione. Consequens etiā videtur plane falsum, quia actio qua fit materia, est vera creatio, & eadem perseverans est qua conservatur: ex creatione autem generatione non componitur una actio: sunt ergo illæ duæ actiones, & non duæ partes eiusdem actionis: ergo etiam in prima rerum conditione interuenerunt hæc actiones distinctæ inter se, quamvis tempore coniunctæ. Iuxta huc ergo discursum plane concluditur, ad veram educationem necessariam non esse, ut materia tempore antecedit; nam ex illis duabus actionibus, illa quæ posterior natura est, habet veram rationem educationis, nam pendet essentialiter à materia, quæ per illā non fit, sed creata supponitur. Et confirmatur, nam si fingamus, Deum produxisse illam materiam prius informem, & post aliquod tempus in eam induxisse formam, nemo negaret eam fuisse veram educationem: sed, licet hæc posterior actio in eodem instanti coniungatur priori, est eiusdem rationis: ergo est vera educatio.

III. Dices, Simili argumento probaretur, formā cœli educi de potentia materiæ; quia si Deus prius tempore creasset illam materiam sine formā, & postea in eam induceret formam, iam tunc educeret illam de potentia materiæ. Respondetur negando sequentiam, & ad probationem negatur assumptum, quia etiam tunc non posset dici cœlum factum per generationem & consequenter nec formā eius facta per educationem, quia actio illa ex natura sua non supponit materiam factam: quod vero in illo casu miraculoso illam supponat, est per accidens, & non mutat naturam actionis. Et fortasse illa actio qua fieret, vel conservaretur materia sine forma, vel sub alia forma distincta, non esset eiusdem rationis cum ea, qua

fit sub propria forma. Et ideo in prædicto casu, quando induceretur forma cœli in materiam præexistentem, cessaret prior actio, qua conservabatur nuda, & inciperet noua actio, qua ex tunc totum cœlum acciperet esse, quæ in re esset vera & totalis creatio, quamvis forte non sic denominaretur propter præexistentem materiam. Quod si quis contendat (quod est probabile) Deum conservare illam materiam per eandem actionem, qua antea eam conservabat, & inducere formam cœli per aliam totalem actionem omnino distinctam; in eo casu (si possibile est) fatebimur illam posteriorem actionem esse educationem formæ cœli, & consequenter cœlum esse generabile miraculoso ac extraordinario modo: negamus tamen formam cœli ex natura sua per talem actionem fieri, sicut fit forma elementi: cœlum autem nunc factum est modo suæ naturæ proportionato: & ideo non est similis consecutio. Illam vero differentiam inter cœlum & elementum colligimus ex incorruptibilitate unius, & corruptibilitate alterius: nam quando materia & forma sunt inseparabiles natura sua, postulant fieri per unam actionem ex se indivisibilem, vel omnino, vel saltem ex natura rei. Quando vero materia ex se est separabilis à qualibet forma diuine, sub eadem materia possunt variari actiones induciue formarum, & ideo actio, per quam talis materia fit, & conservatur, distincta est, & natura sua præsupponitur ad quamcunque actionem inductiuam formæ.

Sed dicit rursus aliquis, esto hæc vera sint, nihilominus primam formam concreatam huic inferiori materiæ, non posse dici educatam de potentia materiæ, quia non antecessit tempore materia illa ut existens in potentia ad talem formam: neque enim satis est, quod ordine naturæ antecedit, nam etiam materia cœli ordine naturæ antecedit suam formam in genere causæ materialis. Imo addunt aliqui ad educationem formæ necessarium esse, ut dispositiones etiam in materia antecendant, quod in creatione elementorum dici non potest. Sed hoc dispositionibus videtur impertinens: nam dispositiones remotæ solent tempore antecedere quasi per accidens propter inefficaciam, agentis: at si Deus in uno instanti transmutat aquam in vinum, illæ dispositiones non præcedunt tempore, & nihilominus illa vera generatio est, & vera educatio. Dispositio autem vltima nunquam antecedit tempore introductionem formæ: eo autem modo, quo in generatione naturali antecedit ordine naturæ, antecessit etiam in prima elementorum creatione. Nam re vera illa unio formæ ad materiam, quæ tunc facta est, fuit facta cum eadem dependentia ubi vltima dispositione, quam nunc habet in quocunque elemento: ergo & cum eadem causalitate ex parte dispositionis: ergo cum eodem ordine naturæ, nam hic ex causalitate sumitur. De ipsa vero materia prima, hoc est quod contendimus, nimirum, ut forma educatur de potentia eius, non videri necessarium, materiam antecedere ordine temporis sub priuatione, sed satis esse, quod antecedit ordine naturæ: quomodo constat fuisse priorē creationem materiæ elementorum inductione formæ: nam illæ fuerunt duæ actiones, ut declarauimus, ita subordinatæ, ut inductio formæ essentialiter supponat creationem materiæ, à qua pendet ut à causa omnino necessaria.

Quod autem hæc antecessio sufficiat, potest multis modis confirmari. Prima à priori ex dictis: nam illa satis est, ut ea inductio formæ sit actio eiusdem rationis cum ea, quæ posterior esset duratione, si Deus prius materiam sine forma crearet, & postea eam informaret. Nam sola temporis interruptio non sufficit variare actiones essentialiter: ergo eadem antecessio naturæ sufficit ad educationem formæ. Secundo à simili, quia si eodem instanti, quo aer creatur, illuminetur à Sole, lumen illud educitur de potentia

IV.
Instanti
latius.

V.

*Distin-
guen-
ter ma-
teriam
et ele-
menta-
re
quoad
con-
seru-
ationem
suarum
for-
marum.*

tertia actus, suppono enim alias illuminationes fieri per educationem; quod infra ostendam: sed aer tunc solum ordine naturæ antecedit introductionem luminis ut constat: ergo Maior patet, quia illa illuminatio est propria & per se actio distincta à creatione. Tercio ex differentia inter materiam cœli, & materiam elementi quoad antecessionem ad formam: est enim duplex differentia notanda, & quæ maxime ad rem pertinet. Prior est, quod materia cœli etiam ordine naturæ non antecedit simpliciter introductionem propriæ formæ, quia habet cum illa necessariam connexionem; ita ut sine illa modo connaturali creati non possit: materia autem ignis simpliciter antecedit ordine naturæ, quia non habet intrinsecam connexionem cum forma ignis, sed posset sub aliis creati. Posterior differentia, quæ præcedentem declarat, est quod materia ignis ita est prior, ut ex vi actionis, per quam creatur, posset esse sub priuatione formæ ignis. Et hoc modo non solum materia, sed materia ut in potentia, dicitur esse prior naturæ, non quia in re prius habeat priuationem annexam, sed quia ex vi actionis, per quam creatur, non caret priuatione sed necessaria est alia actio qua informetur: quæ potest habere veram rationem educationis: materia autem cœli, eadem actione qua creatur, in formatur; & licet secundum propriam rationem causandi dicatur prior naturæ, tamen ut existens in potentia, & aliquo modo sub priuatione, nullo modo dicitur natura prior: & ideo non habet eam prioritatem naturæ, quæ ad educationem formæ necessaria existit. Quamobrem probabilissimè existimo, esse longe disparem rationem de prima informatione materiæ rerum generabilium, & cœlestium.

Resolutio questionis.

VI. In hac re verum in primis censeo, in creatione rei incorruptibilis, siue elementi, siue alterius cuiusvis, interuenire duas illas actiones supra declaratas, Quod indicauit Henricus quodlib. 1. quæst. 10. citâs Augustinum 13. Confess. cap. 33. dicentem, materiam de omnino nihilo, mundi autem speciem de informi materia factam esse. Quamquam ibi Augustinus indifferenter loquatur de cœlis & elementis. Neque est cur hoc mirum videatur, quandoquidem in conseruatione ignis, vel alterius rei similis duæ actiones interueniunt, ut satis declarat illa ratio, quod una cessante, alia perseverat. Sed iuxta doctrinam Diui Thom. conseruatio, per se loquendo, est eadem actio cum productione, ergo. Imo in conseruatione hominis tres interueniunt actiones, scilicet conseruatio materiæ, & conseruatio animæ, & conseruatio vnionis, seu totius, quas esse distinctas, inde rectè colligitur, quod hæc cessante aliz duæ manent: & inde etiam rectè fit argumentum easdem tres actiones in productione hominis interuenire; ergo idem est proportionaliter in aliis.

VII. Deinde verum etiam censeo actionem illam per quam materia generabilium informatur in primo instante sue creationis, esse eiusdem rationis cum actione qua informaretur ab eodem agente Deo, etiam si creatio materiæ tempore præcessisset. Hoc per suadet illa ratio quod temporis interstitium, vel concomitantia nihil refert ad variandas essentialiter actiones. Item, quia illæ actiones conueniunt in formali termino vel totali, & in principiis vel causis à quibus pendent: ergo nulla est ratio distinguendi illas essentialiter. Ex quo ulterius concluditur, illam actionem qua informatur hæc materia, etiam in primo instante quo creatur, non esse creationem, in rigore loquendo, & præcise illam actionem considerando. Probatur, quia si illa actio posteriori tempore fieret, non esset creatio ex omnium sententia: ergo neque tunc facta, quia est eiusdem rationis. Et

ratio à priori est, quia illa actio est ex materia ordine naturæ præsupposita. Neque obstat quod terra absolute dicatur in principio creata, tunc quia etiam virgulta, & animalia dicitur creata quamuis certum sit formas harum rerum non esse introductas per rigorosam creationem, tum etiam, quia terra dicitur creata, non propter illam vnionem præ se sumptam, sed ut coniunctam actioni qua creata est materia terræ: nam quia ille duæ actiones factæ sunt simul ac per modum vnus, ab eis dicitur creata terra. Vnde, quamuis eodè verbo dicatur, *Creatus Deus cœlum & terram*, non oportet ut modus creationis seu actionis, quæ in vtriusque productione interuenit, sit idem, nisi quantum ad id quod vtrique commune est, nimirum fieri ex nihilo, quoad reliquaverò vnumquodque creatur iuxta modum & capacitatem, naturæ suæ.

Atque hinc ultimo elicio solum de nomine manere questionem, an educio formæ ex materia locum habeat, etiam si materia duratione non antecedit, sed natura tantum; seu (quod idem est) an illa prima effectio formæ terræ dicenda sit educio de potentia materiæ, nam si nomine educationis solū significetur positiua ratio illius actionis, per quam forma dependenter in fieri & esse à materia, quæ per illam actionem non creatur, sed creata supponitur, reuera illa est educio, ut discursus factus ostendit. Si vero nomine educationis, præter dictam rationem positiuam & realem conotetur negatio, vel extrinsecade-nominatio, nimirum quod cum illa actione non adducatur simul ipsum subiectum, etiam si per aliam actionem creetur, licet non poterit illa vocari educio, ut per se constat, sed dicitur concreatio in sensu statim declarando. Et videtur sane nomē educationis frequentius sumi in hac posteriori significatione: & ideo ita loquendum est cum multis, quamuis oporteat rem ipsam, intelligere & explicare cum paucis. Et iuxta hæc loquendi formam conciliantur facile, & conceduntur rationes factæ pro priori sententia, tamen, ne videantur procedere contra rem à nobis declaratam, oportebit earum solutiones attingere.

Argumentorum solutiones.

ET prima quidem, quæ sumitur ex formis celestibus, iam expedita est, & constituta differentia inter corpora incorruptibilia, & corruptibilia. Secunda verò, quæ sumitur ex proprietate verbi *educere*, etiam à nobis admittitur, si tantum ad modum loquendi, & ad extrinsecam connotationem respiciat: si vero ad rem & actionem positiuam, sic negamus, de ratione educationis esse, ut subiectum prius tempore antecedit, sufficit enim prioritas naturæ, ut à nobis declarata est. Tertia ratio nitebatur in nomine *concreationis* in quo est obseruandum, duobus modis dici aliquid concreari alteri: vno modo quia eadem actione, qua aliquid creatur, ipsum fit, quomodo materia & forma cœli concrenatur cum cœlo, & quando forma sic concreatur, non educitur, ut in forma cœli declaratum est. Alio modo dicitur concreari, quod simul fit cum re quæ creatur, quamuis non eadem actione fiat, ut dicitur gratia concreata cum Angelis, & sic etiam dicitur forma terræ concreata materiæ: & quod sic concreatur, potest fieri per actionem, quæ in re sit eiusdem rationis cum educatione quamuis propter concomitantiam creationis subiecti eo nomine non appelletur. Et hinc etiam patet solutio ad quartam rationem, quæ sumebatur ex concreatione potentialium in substantia animæ vel Angeli. Petitur verò in illa vltima ratione specialis difficultas, quæ hic poterat quarto loco tractari de educatione formæ accidentalis de potentia subiecti, tamen quia de forma accidentali sequentem disputationem instituitur sumus,

SECTIO IV.

An forma, dum ex materia educitur,
per se fiat.



Ad difficultatem oritur ex superioribus, & ad eas magis explicandas conferret. Nam cum dictum sit, educationem esse actionem, quā ita fit forma in materia dependenter ab illa, ut per eam actionem non fiat ipsa materia: inde sequi videtur per talem actionem solam formā, per se primo fieri, quod repugnat Arist. 7. Metaph. tex. 26. & 27. & lib. 8. tex. 4. Sequela patet, quia per illam actionē sola forma secundum se totam educitur de nō esse ad esse: totum autem non fit, nisi quatenus coalescit ex partibus iam factis: ergo forma est quā fit, & prius, & proprius. Prius quidē, quia, ut totum ex partibus componatur, oportet, ut partes supponatur habētes esse. Proprius vero, quia id, quod secundum suam entitatem educitur de non esse ad esse, proprius fit, quam quod solum componitur ex iam existentibus.

In hac re prior sententia admittit, quod ratio facta probare videtur, formam proprie ac per se fieri: ita sumitur ex Alberto 2. de anim. tract. 1. capit. 1. & 3. ubi ait, quod inter hæc tria, materiam, formam, & compositum forma proprie & primo est ens, quod etiā late defendit Zimarā Theorem. 20. Alii distinguunt duas actiones, etiam in effectione formarum materialium. Vnam, quā fit forma, aliam, quā vnitur: & de priori concedunt per se primo terminari ad formam, licet posterior terminetur primario ad compositum. Hæc opinio sumitur ex Durando 2. distinct. 1. quæst. 4. ad ultimum.

Quæstionis resolutio.

Vtraque tamen sententia falsa est. Et de hac quidem posteriori dicemus late infra, explicando varios modos causandi efficiētis causæ. Nunc sufficiat contra illam ratio, quæ ex hæcenus dictis facile colligi potest, nam formæ materiales (de his enim tantum est sermo) non sunt etiam quoad entitatem suam sine concursu materiali subiecti, sed subiectum non insluit in formam, nisi quatenus sibi vnitur, ut constat ex dictis supra de materiali causa: ergo non potest talis forma fieri per aliquam actionem, quæ non fit vnitiva formæ ad subiectum, non possunt enim ibi duæ actiones secundum rem distinguī, sed solum secundum rationem, vel in adæquatos conceptus, vel ad summum secundum partes, quæ essentialiter inter se coniunctæ sint, ut dicto loco declarabimus.

Prior vero sententia repugnat re vera Aristoteli citatis locis, quem sequuntur Commentator. eisdem locis, & 12. Metaph. commento 12. & 18. & D. Thom. ibidem, & 1. part. quæst. 45. artic. 4. & 8. ubi solutione ad primum addit, formas non fieri per se, sed per accidens tantum, quod est sano modo intelligendum, late utendo verbo *per accidens*, prout idem est, quod cum alio: proprius vero dicitur forma hæc congenerari, ut idem D. Thom. significat in illo artic. 4. q. 65. artic. 4. Idem tenet expresse Scot. 7. Metaph. q. 10. Anton. Andr. q. 9. Zimar. Theorem. 100. Soncin. 7. Metaph. q. 23. Ratio autem est, quia eius est per se primo fieri, cuius est esse, cum fieri tendat ad esse: sed id proprie est, quod subsistit: ergo id proprie fit, sed hæc formæ non subsistunt, sed composita ex ipsis: ergo ad composita proprie & principaliter terminatur actio. Confirmatur, nam actio est una, ut supponimus: ergo & terminus adæquatus est vnus, sed hic non potest esse forma, quia compositum re vera fit, & non est forma: ergo. Maioris autem claritatis gratia distinguī solet duplex terminus, scilicet, ut quod,

Ee & vt

mus, ibi commodius difficultatem hanc explicabimus.

Quinta vero ratio petit difficultatem aliam de modis substantialibus, an scilicet dicendi sint educi de potentia subiecti, ut verbi gratia, subsistentia de potentia seu capacitate naturæ, quam terminat, & idem est de modo vnionis formæ respectu potentie ipsius formæ, vel subiecti, imo & de generatione ipsa substantiali quæri potest, an educatur de potentia materiz. De quibus omnibus breuiter dicentia materiz. Dum est in illis esse quendam modum, vel participationem educationis, non tamen ita proprie illis convenire, sicut formæ substantiali: subsistentia enim non fit per propriam actionem: & præterea non proprie informat, & consequenter non comparatur ad naturam, ut ad subiectum, & propriam materialē causam, quare ex hac parte non dicitur proprie educi: in hoc autem imitatur educationem, quod in suo esse & fieri, qualecunque illud sit, omnino pendet à natura, quam per se terminat, & suo modo actuat, ut latius declarauimus infra, tractando de subsistentia. Generatio item substantialis non tam fit, quam est via, per quam fit substantia: unde non tam educitur, quam est ipsa educitio: eo tamen modo, quo ipsa generatio fit, dum per eam fit terminus etiam ipsa educitur de potentia materiz, à qua materialiter causatur, ut supra dictum est, & ab ipsa essentialiter pendet in fieri, & in esse, quæ duo in generatione idem sunt. Denique idem iudicium est de vnione formæ ad materiam, quæ tamen non per se educitur, sed educitur forma ut vnita materiz, & scietiam (ut ita dicam) coeducitur ipsa vnio. Quod quidem recte dicivideretur in materialibus formis.

In anima vero rationali habet peculiarem difficultatem, quia ex vna parte videtur educi illa vnio, quia fit per se, per propriam actionem, distinctam ab ea, quā fit forma: dico autem vnionem per se fieri, ut formalem terminum, nam adæquatus est homini: id autem satis est ad propriam educationē, quia, ut statim dicemus, forma nunquam est per se terminus actionis, nisi formalis, & ut quæ: illa ergo vnio animæ ad corpus proprie, ac per se educitur. Item, essentialiter pendet in fieri, & in esse à corpore, ut à materiali causa: ergo proprie educitur. In contrarium vero est, quia illa vnio est modus quidam spiritalis: ergo non potest educi de potentia materiz, magis quam ipsa anima. Patet consequentia, quia repugnat rem spiritualement contineri in potentia materiz. Antecedens vero patet, quia ille modus proxime afficit animam ipsam, quam vnit materiz: est ergo illi proportionatus, & consequenter spiritalis, sicut ipsa est. Et confirmatur, quia si forma non continetur in potentia materiz: neque vnio contineri potest, quia vnio non est, nisi modus formæ: ergo, si forma non educitur, neque vnio educi potest. Ad hoc dicendum est, hunc modum vnionis esse veluti medium quoddam, seu vinculum inter formam & materiam, & ideo vtramque attingere, & aliquantulum afficere: & ideo ab vtraque pendere in fieri, & in esse. Quo fit, ut hic modus animæ rationalis, licet in sua entitate spiritalis sit, conditiones tamen participet rei materialis, quia & à materia omnino pendet, & illi suo modo coextenditur, quamuis ex parte animæ extensionem non habeat. Propter hanc ergo causam, potest ille modus educi de potentia materiz, quamuis non adæquate, neque primario ex sola illa, nam educitur etiam de potentia ipsiusmet animæ, quam per se primo afficit, & vnit materiz.